

est inconueniens, et repugnans poni in re ex suppositione, et secundum impossibilitatem consequentiæ non consequentis, est etiam impossibile secundum quid, et in sensu composito, et potentia consequenti, non antecedenti. Et hoc modo se habet in nostro casu, quia potentia antecedens, seu in statu antecedenti respicit possibile solum secundum se, et quantum est ex meritis objecti, quod tamen ratione alicujus suppositionis, vel conditionis adjunctæ potest esse impossibile, potentia consequenti, et in sensu composito, quatenus non potest conjungi illa suppositio, vel conditio cum isto actu, licet possit conjungi ille actus cum subjecto secundum se, sicut aer tenebrosus potest esse lucidus, et homo sedens potest stare attendendo præcise aerem, et lucem: attendendo autem aerem ut tenebrosus, non potest.

Et cum inquiritur quod assignetur objectum illius potentia in sensu diviso, supposito auxilio, et illo stante, dico quod objectum potentia in sensu diviso est ille actus oppositus auxilio, non quomodocumque, sed ut præcise respicit potentiam capacem sui, non potentiam, et auxilium simul, ita quod omnia conjungat. Itaque potentia actuata auxilio, et stante auxilio includit duo et potentiam, et auxilium. Potest ergo actus oppositus considerari, non ut tangit utrumque simul, potentiam et auxilium, sed præcise potentiam, licet adhuc ibi stet auxilium, et illud præcise est diuise, seu in sensu diviso tangere, et sic adhuc est potentia, seu capacitas talis actus, sicut materia prima actuata una forma, retinet capacitatem, et potentiam ad aliam formam, et illa forma est objectum illius capacitatis, etiam dum stat sub alia forma specificative loquendo, non tamen habet potentiam ad conjun-

gendam aliam formam cum ista simul; sic enim est sensus compositus, et tale objectum est impossibile.

XLIV. Ad confirmationem negatur minor. Ad probationem dicitur, quod tunc est impedimentum quando est aliquid obstans, distinguo; quando est obstans ex aliquo defectu potentia antecedenter ad actum, concedo; quando est aliquid obstans, non est defectu antecedente ad actum, sed ex ipsa determinatione ad actum, nego: determinatio enim ad actum, vel actus ipse non impediunt potentiam, nec faciunt obstaculum diminuendo, aut coarctando facultatem potentia, et capacitatem ejus ad illum actum, sed solum propter impossibilitatem actuum inter se. Unde per hoc quod habeat potentia unum actum, aut determinetur ad illum, sive ex se, ut a causa proxima, sive a Deo ut causa prima, quæ est radix hujus libertatis, non impeditur facultas, et potestas libertatis in ratione facultatis in se, et absolute, sed solum impeditur ne simul utrumque actum habeat, quod impedimentum libenter fatemur, quia ad hoc nulla datur potestas, ut simul duo actus habeantur, quod pertinet ad sensum compositum. Impeditur autem potestas, si quando determinatur ad unum actum, tangeretur ipsa facultas, et capacitas ejus coarctaretur aut diminueretur, quod nullo modo fit: sicut materia prima dum habet unam formam, non destruitur aliquid de facultate, et capacitatem ejus tunc ad habendum alias, nec impeditur, quia integra capacitas manet ad alias, sed solum impeditur ne simul habeat utramque formam, ita quod stante ista forma etiam stet alia, non tamen quod stante ista forma maneat possibilitas ad alias divisive. Et idem est de determinatione divina ad uactm quæ

relinquit possibilitatem integram ad alium, ut dicit S. Thomas in primo ad Annibaldum, dist. XLVII, quæstione unica, art. IV ad II et q. XXIII de verit. art. V ad III, solum autem non manet potestas ad habendum simul utrumque actum, quia hæc potestas nunquam fuit.

XLV. Quando autem interrogatur, si manet non impedita illa facultas ad oppositum actum, unde constat quod non habebit illum, et sic frustrabit divinam efficaciam, respondeo: Constat, quia Deus immutabiliter vult istum actum, et ita Deo id constat ex sua voluntate, per quam, ut dicit Augustinus libro de correptione et gratia, cap. XII: « Subventum est voluntati nostræ, ut indeclinabiliter, et inseparabiliter ageretur, et ideo quamvis infirma non deficeret, nec adversitate aliqua vinceretur. » Et cum infertur: Ergo constat non operaturam aliud, quia Deus impedit, id est, quia, non vult dare concursum ad oppositum, respondetur quod hoc non est impedire, quia Deum non dare, seu negare concursum ad oppositum, vel est quia dat ad unam partem, et dando ad unam, non debet dare simul ad aliam, vel est quia coarctatur voluntas ad unum, et frangitur ejus potestas, seu diminuitur, et ratione hujus non datur concursus, nisi ad unum. Primum non est impedimentum, sed secundum. Si enim ideo daret Deus concursum ad unam partem, quia voluntas in sua facultate, et potestate coarctata est, et impedita ad aliam partem, aut quia Deus voluntati jam determinatæ, et inclinatæ ad unam partem denegaret concursum ad illam, tunc vere diceretur Deus impedire causam secundam ne operaretur, aut quia ligaret facultatem potentia, aut quia jam inclinatæ ad operandum denegaret concursum generalem.

Cæterum ex quod Deus solvit in-

determinationem, et suspensionem potentia, et determinat ad unum actum præ alio conservando potestatem pro alio actu, nullum impedimentum ponit, sed potius resolvit, et tollit impedimentum ad operandum istum actum, sicut ipsamet voluntas determinans se ad operandum unum actum præ alio, non ponit sibi impedimentum, sed potius resolvit, et tollit impedimentum ut operetur, licet verum sit quod quia non potest simul operari utrumque actum contrarium, dum operatur unum, non potest operari alterum, sed hoc non posse, et hoc impedimentum ex suppositione, et secundum quid, non simpliciter. Hoc ergo quod voluntas ipsa facit in se sine læsione sui dicimus quod Deus incipit et causat illa tamquam prima radix, et causa libertatis ejus, non magis lædendo aut impediendo ipsam, quam ipsa se impedit, quia quidquid voluntas ipsa facit, Deus facit ut faciat, et ut tali modo faciat non impediendo, sed dando ut faciat illud, et ut modo libero faciat, licet ex suppositione quod faciat unum, non possit simul facere aliud. Sed illud non posse, non est impedimentum potentia, sed consequentia secuta ex suppositione operandi unum.

XLVI. Quod si instes: Quidquid sit an illa efficacia antecedens sit causa nostri actus liberi, vel non sit, et ex hoc parte qua tangit nostram libertatem, et ducit illam ad actum, non tollat illam, tamen ex parte qua venit a Deo, immutabilis est, et ei resistere non potest nostra voluntas, et est forma de se immutabilis et determinata atque determinationem in nobis faciens formaliter, ita ut oppositum cum illa stare non possit, ergo tollit libertatem. Patet consequentia, quia ut tollat libertatem, sufficit quod ex una parte tollat, non ex multis, pro ea autem parte qua

venit a Deo, est immutabilis, et infallibilis, et determinationem faciens, nec ei resisti potest a nobis: ergo sufficit hoc ut non relinquat libertatem. Nec sufficit dicere quod est infallibilis, et immutabilis illa efficacia, sed non necessaria, libertati autem non opponitur immutabilitas, seu infallibilitas, seu necessitas, ut patet in libertate divina, quæ simul est immutabilis.

Contra enim est, quia licet immutabilitas possit compati cum libertate divina, non tamen cum creatâ, quæ intrinsece mutabilis est: ergo hoc ipso quod illa efficacia Dei dat immutabilitatem, et infallibilitatem actui, tollit libertatem ut creatam, et ut contingentem; contingentiam enim opponitur infallibilitas.

Respondetur quod potius illa non resistentia quam habet nostra voluntas, seu non posse resistere Deo, et illa immutabilitas efficaciam divinam firmant nostram libertatem, non tollunt, si quidem non resistere efficaciam divinam est non resistere efficaciam, quæ non solum dat determinationem actus, sed etiam modum ipsum libertatis: ergo resistentia ad talem efficaciam esset resistentia ad efficaciam libertatis, et ad ipsum modum libertatis: non resistere autem, seu non posse resistere illi in sensu composito, est non posse resistere ipsi modo libertatis, et consequenter firmari in modo libertatis et esse firmiter liberam voluntatem. Solum si fiat separatio, aut sensus divisus quod dicatur posse resistere illi efficaciam ut præcise determinanti substantiam actus, non autem ut danti libertatem, dicemus quod posse resistere illi efficaciam pertinet ad libertatem: sed hoc resistere in sensu divisivo nos libenter concedimus: sicut ergo pertinet ad nostram libertatem posse resistere illi efficaciam quantum est ex parte objecti, et ex meritis ejus, ita perti-

net ad libertatem non posse illi resistere, quatenus est inductiva libertatis a Deo, et Deus vult efficaciter non solum ut fiat, sed ut libere fiat; huic enim resistere, esset resistere libertati. Unde non currit ratio facta quod sufficit ex una parte tolli libertatem, ut simpliciter tollatur. Sufficit quidem tolli ex una parte, sed hic ex nulla tollitur, quia illa immutabilis, et infallibilis efficacia Dei vult infallibiliter ex parte sua, ut res fiat libere, et contingenter ex parte nostra: sicut vult immutabiliter ex parte sua, quod fiat motus, et mutationes in rebus naturalibus. Et cum dicitur quod forma illa, seu efficacia, aut influxus est ex se determinata et immutabilis, respondetur quod est immutabilis, ut determinata ut quod, et ut entitas quædam in se, sed est mutabilis et libera ut quo, quia est principium quo fit ille actus, et derivatur a Deo etiam ut libet, et libere fiat. Ad replicam contra solutionem, respondetur quod contra libertatem creatam non est immutabilitas, et infallibilitas participata, et accidentalis, sed immutabilitas per essentiam: hæc enim repugnat libertati creatæ, ut creatæ; quod vero participative habeatur a Deo aliqua immutabilitas, vel transeunter in operatione, vel permanenter in statu, sicut beati habent æternitatem, et immutabilitatem participatam, nullum est inconveniens, cum Augustinus ubi supra dicat, indeclinabiliter, et inseparabiliter nos agi a gratia. Vel dicimus quod tota ista infallibilitas, et immutabilitas tenet se ex parte modi operandi Dei, non ex parte rei operatæ: ex hac enim parte potius participat mutabilitatem, et contingentiam, licet ex parte Dei modo immutabili detur: mutat enim omnia immotus manens.

XLVII. Ex his solvuntur consequentiam aliquam, quæ in hac parte

solent importune accumulari. Prima, si posito decreto efficaci potest voluntas oppositum; ergo possibile est illud poni, possibili autem posito in actu, nullum sequitur inconveniens: ergo nullum erit inconveniens quod ponatur oppositum illius decreti stante illo. Secunda, si potest oppositum voluntas, et nunquam faciet, nec ab illa voluntate unquam fiet: ergo frustra est talis potentia, quæ nunquam reducitur ad actum, nec in se, nec in aliquo simili. Tertia efficacia illa ut applicata voluntati, et influens in illam, solum habet determinare ad unum, quia non datur cum indeterminatione et indifferentia; posita autem forma, ponitur effectus formalis necessario: ergo manet voluntas, ut subordinata illi efficaciam determinata necessario. Quarta, si posito illo decreto efficaci poneretur de facto oppositus actus, de facto frustraretur illud decretum, et resisteretur illi; ergo si potest in sensu divisivo facere oppositum, et dissentiri, potest in sensu divisivo frustrare decretum, et resistere voluntati Dei. Juxta hoc quæritur, an in sensu quo dicitur posse nos dissentiri, possit dici quod possumus resistere voluntati Dei, et frustrari illam.

XLVIII. Ad istas consequentias ex dictis manet responsum. Et certe contra oppositam sententiam retorqueri possunt. Nam etiam posito decreto indifferenti, et determinatione orta ex consensu præviso meæ voluntatis, adhuc voluntas manet libera ad oppositum actum, nec enim tollitur ab illa potestas, qua potest agere oppositum aut minuitur: ergo poterit conjungere oppositum actum cum suo consensu, et determinatione prævisa. Consequentia non valet. Quod ergo illi responderint ad hanc consequentiam, nos respondemus ad suam. Nam dicere quod determinatio, seu consensus

meus prævisus, quia actus meæ voluntatis est, non tollit libertatem, quia supponit, et consequitur ad illam, determinatio autem divinæ efficaciam, quia est potestatis extrinsecæ, et non voluntatis propriæ, nec subsequitur ad ipsam, sed antecedit, ideo non stat cum libertate, hoc inquam non sufficit; tum quia non facimus vim in eo quod tollat, vel non tollat libertatem illa determinatio mei consensus, sed supponendo quod non tollit libertatem, quia subsequens est ad illam, sed relinquit potestatem ad oppositum actum, tamen adhuc non potest oppositum actum ponere stante ista determinatione, licet potestatem habeat ad illum: ergo ex hoc præcise quod stante efficacia decreti ex se, et non ex consensu desumpta, non stet poni actum oppositum, licet maneat potestas ad illum, non sequitur tolli libertatem, aut frustra esse illam potestatem, vel frustrari posse illam efficaciam; tum etiam quia si determinatio prævisa meæ voluntatis non tollit libertatem quia consequitur ad illam, etiam efficacia determinationis divinæ non tollet, quia est causa ipsius libertatis, et non solum determinationis actus, et substantiæ ejus. Quæ enim potest esse ratio quod effectus consequens libertatem et determinans consequenter, non lædat illam, et causa ipsius libertatis, quæ illam ponit, et causat etiam in esse liberi, tollat illam? Si enim causat non tollit.

XLIX. Ad primam ergo consequentiam jam supra respondimus quod possibili posito in actu, non sequitur inconveniens, si sit possibile potentia consequenti, et sublata omni appellatione, aut præcissione, transeat; si sit solum possibile potentia antecedenti, et non sublata omni appellatione, vel præcissione, nego; sequitur enim inconveniens, non si poneretur sub illa præcissione

et quantum est ex meritis possibilitatis, sed si ponatur simul cum opposito actu, et in sensu composito cum ipso. Et quia posito in restante illo decreto efficaci importat sensum compositum, possibilitas vero respectu potentiæ antecedentis importat sensum divisum, ideo possibile, quod solum est in sensu diviso, et respectu potentiæ antecedentis tantum, non potest poni in re in sensu composito, et stante illo influxu, licet secundum se, et in sensu diviso non repugnet, nec sit inconveniens esse in re, quantum est ex se, et sub ratione potentiæ antecedentis, non simpliciter.

L. Ad secundam consequentiam respondetur non esse frustra potentiam, quæ absolute potest reduci ad actum, licet non sub omni suppositione, et statu reduci possit, sicut materia prima dum est sub una forma, retinet potentiam ad aliam absolute, licet non ad exercendam hanc potentiam, et ad habendum de facto aliam formam, nisi illa quam habet tollatur, et idem fere est de omnibus potentiis, quæ habent actus suos, et dum habent illos, retinent potentiam ad alios actus, nec frustra est talis potentia, licet exerceri non possit, nisi sublato illo actu, non simul cum illo, quia ad hoc nulla est potentia, ut simul duo oppositi actus jungantur. Sic liberum arbitrium, etiam posito decreto, et influxu Dei efficaci, potentiam retinet ad oppositum actum nec est frustra illa potentia, quia absolute exerceri potest, licet de facto, et potentia consequenti non exercebitur, nisi tollatur illa suppositio habendi auxilium, et ponatur in alio statu habendi aliud. Et quia sub alio statu, et sub alia suppositione potest, ideo potentia non est frustra; absolute enim reducibilis est ad actum, licet mediate.

LI. Quod si instes: Nam hoc quod

est posse reduci ad alium actum remota forma, et actu quem nunc habet, commune est multis aliis potentiis non liberis, sed necessario operantibus, sicut materia prima potest habere hanc formam, et aliam, licet dum habet istam non possit habere aliam, et lapis potest descendere vel quiescere, et brutum potest ambulare vel stare, et tamen dum est sub uno actu, non potest simul esse sub alio: ergo potentia libera aliquid amplius debet habere, nempe quod etiam stante decreto Dei efficaci, possit abjicere illum, sicut stante suo actu potest cessare ab illo, etiam potentia consequenti, et in sensu composito: nam potentia antecedenti, etiam ea quæ necessario operantur, possunt cessare, aut alium actum habere.

Respondetur quod differentia inter alias potentias necessarias, quæ se habent ad multa, et voluntatem nostram, quæ ad plura etiam indifferens est, non consistit in eo quod possint potentia consequenti multa simul conjungere, aut a Dei motione se excutere, quia si ab una recedunt, in aliam incidunt, et totum a causa prima debet incipere et causari, non ab ea expectari. Sed differentia in eo est, quod potentia libera remanet cum potentia antecedenti ad oppositum actum, quæ potentia antecedens est dominativa, et cum arbitrio se movendi, sub dependentia tamen a dominio Dei a quo datur sibi suum dominium. Reliquæ vero potentiæ non liberæ remanent, etiam sub potentia antecedenti tantum ad aliam formam, sed non cum indifferentia dominativa, et ex arbitrio se movente, sed ex instinctu mota, ut in brutis, aut sine instinctu, et naturaliter, ut in aliis. Utraque ergo potentia tam libera, quam necessaria quæ potest ad multa, quando est sub una forma potentiam habet ad oppositam, et

quando movetur ab efficaci influxu Dei, adhuc potest in oppositum potentia antecedenti, sed una cum dominio et arbitrio a Deo etiam derivato, et participato, alia sine ipso.

LII. Ad tertiam consequentiam dicitur, quod posita forma ponitur effectus formalis, eo modo quo est a forma, et non aliter. Ab illa autem efficaci, et influxu Dei est non solum quod fiat determinatus effectus seu actus, sed etiam quod libere fiat quod pertinet ad modum actus: utrumque enim causatur a Deo, ut dictum est. Quare illa forma non reddit actum determinatum necessario, sed determinatum libere, licet hoc ipsum quod est libere fieri, sit infallibile, ut descendit a Deo. Atque ita, ut supra diximus, illa entitas, seu influxus licet in se entitative, et ut quod, sit aliquid necessarium, tamen ut quo, et formaliter est libera forma, id est, actum reddit liberum, et sic dat effectum formalem sine læsione libertatis.

LIII. Ad quartam consequentiam concedo antecedens, quod si stante auxilio poneretur actus oppositus de facto, frustraretur auxilium, et redderetur inefficax. Distinguo autem consequens: ergo si potest oppositum stante auxilio, potest frustrari, distingo; si potest potentia consequenti, concedo; si potest solum potentia antecedenti, nego. Ad frustrandum enim auxilium requiritur quod voluntas vincat efficaciam Dei, et sic major sit illa: hoc autem implicat, si quidem id quo vinceret, et abjiceret de facto efficaciam Dei, cum sit aliquid creatum, etiam a Deo causari debet: quod si causatur a Deo, non frustratur voluntas ejus, et efficacia, sed est signum, quod prior voluntas efficax non fuit. Repugnat ergo quod detur voluntas consequens frustratoria divinæ efficaciam: potentia autem antecedens ad oppositum non est

frustratoria divini auxilii, quia non habet paratam executionem a Deo, et multo minus a se sine Deo; potentia autem ad oppositum sine parata executione, ab ipso Deo est, et sic non est frustratoria ejus quod Deus vult.

LIV. Instabis: Hoc modo etiam auxilium sufficiens non est frustrabile a nobis, et sic non differet ab efficaci, si quidem tam infrustrabile est unum, quam aliud. Sequela probatur, quia in eo quod Deus vult quando dat auxilium sufficiens, scilicet quod iste habeat sufficientem potentiam, non potest frustrari, habet enim illam: in eo autem quod est habere effectum, Deus non vult ut habeat illum, cum non sit voluntas efficax, et quoad hoc etiam est infrustrabile illud auxilium, quia oppositum stare non potest, scilicet quod habeat effectum solo auxilio sufficienti posito.

Respondetur non frustrari auxilium sufficiens a nobis quoad suum effectum formalem, quem præbet nobis, sed frustrari quoad suum finem, propter quem datur nobis secundum voluntatem Dei antecedentem; hoc enim manet frustratum, quia ipsum auxilium dat potentiam ordinatam ad actum: (omnis enim potentia ad actum est) et tamen caret actu: frustratur ergo fine, licet non effectum formalem. Et hæc frustratio non est contra Dei voluntatem, sed ex ipsa, quia sic ordinavit Deus, et hoc modo ordinatio Dei universalis semper impletur, ut docet D. Thomas in hac quæstione XIX, art. VI.

LV. Hinc sequitur quid dicendum sit absolute, an possimus resistere efficaciam voluntatis Dei, ejusque auxilio, vel non; nam ex una parte Scriptura dicit absolute quod voluntati ejus non est qui possit resistere, Esther XIII et Rom. IX. Concilium autem Tridentinum dicit, quod ins-